

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Specimen Inaugurale Academicum, Sistens Luem  
Animarum Boehmisticam, ubi ostenditur, quanto cum  
animarum periculo Jacobi Boehmii, Sutoris Görlizensis,  
scripta planè fanatica vel amentur & legantur, ...**

**Wild, Adam**

**Altdorfii, 1705**

**§. XII**

**urn:nbn:de:bsz:31-105875**

mum illius placitum de Prophetis, adhuc hodiè immediatè à D E O illuminatis, nominatim Bæhmio, aliisque , ut testatur D. Georg. Henr. Heberlinus b.m. in Refutat. Seemanni præf. circa medium, habitum esset, ipseque assertiones suas rejicere nollet, an. 1685. officio dejectus, primum Heidelbergam, ubi lectiones Mathematicas privatum habuit, donec , cùm an. 1688. sub autumnum funestum istud bellum Gallicum , quod eheu! nondum deferbuit , omnes Rheno propinquas terras, igne ferroque davaftasset , Francofur-tum concessit: Ubi haud diu commorabatur, sed optimam am-biebat occasionem, unâ cum D. Hinckelmanno , ad pastoratum Ecclesiae Cathariniæ, Hamburgum vocato , eò proficisciendi , ac veniebat tunc Rostochium, Disciplinis Mathematicis juventutem imbuturus. Fiebat brevi pôst, ut & Horbio, Pastori Hamburgensi, cum quo familiariter versabatur, benignorem de Bæhmio opinio-nem affricaret, & Rev. Ministerium Hamburg. de puritate doctri-næ Horbianæ suspicari inciperet; unde natæ infelices turbæ ille Ecclesiam Hamburgensem aliquot annis afflixerunt; unde varia variarum Academiarum, Ministeriorum & Theologorum judicia de Bæhmio, ejusque scriptis, conquista, & in lucem evulgata sunt; unde tot tantæque , cùm inter Theologos nostros, tunc inter hos & Bæhmistas contentiones atque controversiae.

*Non censem  
tum in Bæb-  
mo, Bæbm-  
auisq. scri-  
ptis defen-  
dendis Bæb-  
mico.*

f. XII. Colitur Bæhmius à suis, sicut in honore, ipsi deferentibus, non consentientibus, quorum alii Jacob. Bæmium estimant novissimū temporis verissimum, & immediatum Prophetam, hunc ipsum in finem extraordinariè illuminatum & missum, ut myste-ria, antè nunquam revelata, revelaret , quæ autem jam revelata fuerant, aliis novis illustrationibus illustraret & confirmaret : ut proinde scripta ejus haud alio in pretio atque honore habenda sint , atque scripta Codicis sacri ipsa, divinitus inspirata ; quæ quicunque in dubium vocet, aut pro fanaticis erroneisve tradu-cat , peccatum in Spiritum S. committat : Si vero quicquam in scriptis

scriptis *Bæhmianis* reperiatur, quod absurdum nobis & rationi omni, aut etiam aliis mysteriis adversum, aut obseurum, aut impervium videatur, id si vel maximè conciliari, vel cum Scripturâ, vel cum semetipso nequeat, devotâ tamen, fide sub obsequium rationis captivatâ, reverentiâ adorandum sit, donec major nobis lux oboriatur; sicut & cæterâ in Scripturâ mysteria supra omnem rationem & comprehensionem sint posita: Quicquid verò scripta *Bæhmiana* complectantur, quod vel libris nostris Symbolicis, vel doctrinæ apud nos hactenus receptæ, repugnet, id rejectis eâ in re *Libris Symbolicis*, recipiendum, & sub æternæ salutis justitiae sit credendum. Alii, qui moderatores esse volunt, existimant, fuisse *Bæhmium* Lütheranæ religioni totâ mente addictum, omniaque, quæ ex eo proferuntur, quasi orthodoxæ Theologiae dissentanea, cum veritate Lutheranâ exactè conciliari posse: Ubi videatur quâdram adversum dicere vel Scripturæ, vel rationi, id partim ex ignorantia terminorum Chymicorum, partim ex ipsius rationis obscuritate provenire: Nec enim *Bæhmium* conceptus mentis sue commode ubiq; exprimere potuisse, hominem quippe rudem & literarum expertem; cæteroquin magni meritò faciendum, cum ob pietatis singularem fervorem, tûm ob desideriū reformandi religionem nostram à profanae literaturæ abusu, qui jam tûm temporis in eandem irrepserit. Quid hæc in re dicendum, credendumque sit, partim ex suprà dictis constat, partim dilucidius fiet in sequentibus, ubi diversa Theologorum de *Bæhmio* judicia unâ cum suis fundamentis sunt adducenda.

§. XIII. Prima nostrorum Theologorum sententia communior eadem est, quæ erat *Calovii ac Wagneri*, suprà recensita. Nec, veritati illam esse conformatum, ullus inficias ibit, qui vel unum *Bæhmii* librum sine affectu aut præoccupatâ mente legerit. Nec aliter sentire poterit, quisquis noluerit studior